

AD
RECENSIONEM
BULLARII ROMANO-SVEOGOTHICI,
A NOBIL. A CELSE EDITAM,
ACCESSIO.

CUJUS PARTEM VI,
CONS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,
PRÆSIDE

*Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

*Eloq. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari, R. Acad. Litt.
Human. Hist. & Antiquit. R. Societ. Sc. Upsal. etc. Socio,*

Publicæ bonorum censuræ submittit
CAROLUS FRIDERICUS ALCENIUS,
Ostrobothnienfis,

In Audit. Minoris die XIV Maji MDCCC,
H. A. M. S.

ABOÆ, Typis Frenckellianis.

THESES RESPONDENTIS.

THESIS I.

Tellurem nostram olim aqua fuisse testam, multa sunt quæ docere videntur argumenta.

Thef. II. Partitionem telluris diversas in regiones ope aquarum intermediarum factam, ad earum commercium & communionem commodiorem multum conferre, negare facile potest nemo.

Thef. III. Quam probabile est, cæteros Planetas non minus ac tellurem nostram incolis gaudere, tam inanem atque temerariam suscipiunt operam, qui de horum natura atque indole conjecturis formandis indulgent.

Thef. IV. Non absurde Tiberium Cæsarem, eos eludere solitum fuisse, qui post tricessimum ætatis annum, ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia, alieni consilii indigerent, autumamus.

Thef. V. Quantumvis magnam Educationis in hominum ingenia conformanda vires esse fateamur; absurde tamen vir ingeniosus eorum varietatem, ex sola Educationis diversitate, vel sensu latissimo sumtæ, deducendam putavit.

Thef. VI. Jus poenas infligendi, quod Magistratuī competit, ex naturali, quod etiam ante constitutas civitates, singuli homines habent, jure injustos pacis violatores vi compescendi, in Principem per pactum sociale translato, imprimis esse deducendum, apertum nobis videtur.

Thef. VII. Poenas capitales non nisi in scelera gravissima atque homines maxime facinorosos, pace atque securitate publica id poscente, esse statuendas, merito urgent Philosophi: quarum vel sola frequentia, levissimas ob-suspiciones saepe infistarum, doceat, quam turpiter sacram vel libertatis publicæ tuendæ causam tyrannidi sue homines crudeles & impii obtendant.

Thef. VIII. Satis absurde quidam acutioris ingenii sese laudem sibi vindicaturos putant, si receptas omnes debellare opiniones, quam si easdem defendere insituant, ubi utrumque temere faciunt. Ac recte pronunciavit celeberrimus Rousseau: qui in exitu seculi XVIII omnia deserit principia sibi a pueritia inculcata, eum, verisimile esse, tempore Ligæ Gallicæ religioso fauturum fuisse fanatico.

Thef. IX. Non omnes opiniores, que ex principiis fluunt a Philosopho aliquo adoptatis, tribuere ei licet. Nam non semper sibi homines vel in fententia vel in consilio suis consentiunt.



1263) M. (*Margareta*) *Regina Daciæ, quæ Regem natum suum (Ericum VI) tunc impuberem & regnum gubernabat, Ecclesiæ Revaliensi præfecerat Thrugotum tunc Canonicum Roskildensem, sibi hoc licere credens, quia Rex Valdemarus terram Revalensem de manu paganorum eripiens & cultui Christiano acquires, dictam ecclesiam erexit de bonis propriis & dotavit, quod igitur jus successores sui pariter exercuerunt.* Sed Archiepiscopus Lundensis tunc extra regnum constitutus, hanc electionem confirmare noluit; quam etiam Papa cassavit, cum jus hujusmodi, secundum instituta canonica non cadat in laicum. Ob merita tamen Thrugoti, & quod ecclesiæ illius compatiretur quæ diu viduata exstitit, de potestatis Apostolicæ plenitudine & speciali gratia, ipse illum constituit Episcopum Revalensem. — "Ex Registro Urbani P.P. IV, A. III Ep. 3".

2. *Clero Civitatis & Dioecesis Revaliensis. Ibid. III Idus Septemb. A. III (d. II Sept. 1263).* Eadem de re. — Indid.

3. *Populo Civitatis & Dioecesis Revaliensis. L. a. & d. iisdem.* Eadem de re. — Indid.

4. (*Esgero*) *Episcopo Ripensi. Apud Urbem Veterem XV Kalend. Octob. A. III (d. 17 Septemb. 1263).* Mandatur ei, ut ad se citis (*Ketillo*) Episcopo Viburgensi & (*Annefasto?*) Arhusensi (b), T. (*Thrugoto*) Electo Revalensi munus consecrationis impendat, injungens eidem Electo, ut se postmodum ad Metropolitanum suum conferat, sibi fidelitatis juramentum solite præstetur. — Indid. Ep. 4.

5. (*Ulphoni*) *Episcopo Scarense. Apud Urbem Vet. IV Non. Octobris*

G

(b) Cfr. de tribus his Episcopis Danicis Jutlandicis PONTOPPIDAN I, c. p. 584 sqq. 596 sqq. 588 sqq.

bris A. III (d. 4 Oct. 1263). Mandat ei Papa, ut in Regno Sveciæ, per se vel per alios idoneos Ecclesiarum Prælatos & Clericos religiosos & seculares, cujuscunque dignitatis vel ordinis fuerint, sedulis prædicationibus exhortetur homines ad crucis signum fusi piendum, Terræque Sanctæ contra Tartaros succurrendum; promittens his omnibus plenam suorum peccaminum veniam. Quod negotium ut felicius procedat, tribuit Episcopo suisque adjutoribus potestatem hoc consilio Clericos & populos locorum, ubi crueem prædicaturi sunt, convocandi, quotiescunque & ubique viderint expedire; atque Clericos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellendi, & pro eiusdem prædicationibus ferias, prout expedire viderint indicendi, ac etiam omnibus qui ad easdem acceserint, centum dies Indulgentiarum concedendi, impedimentis quibuscunque remotis. — Indid. Ep. 69.

6. *Eidem. I. a. Et d. iisdem.* Mandat ei, ut centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum Regni Sveciæ, pro subsilio Terræ Sanctæ ad quinquennium concessam, colligat & assignet; crucifignatorum vota pro Terræ S. succursu adimpleri faciat, tollat abusus in colligendis elemosynis, & præsto sit prædicationi crucis: pro qua ei privilegia & indulgentias concedit. — Indid. Ep. 71.

7. *Universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis &c. ad quos littere iste pervenerint. Ibid. Kalend. Octobris (c) A. III (d. 1 Oct. 1263).* Commendatitia pro eodem Episcopo Scarense. — Indid. Ep. 75.

8. *Episcopo Scarense (Eidem).* Ibid. X Kalend. Novemb. A. III (d. 23 Oct 1263). Privilegium cruce signatis & signandis concedi-

(c) An Novembris? Cfr. N:o 5, 6, 7.

ceditur, ut extra Diœceses in quibus ipsi & eorum bona consistunt, ad judicium evocari non possint, dummodo parati sint coram eorum Ordinariis, de se querelantibus exhibere iustitiae complementum. — Indid. Ep. 73.

9. *Archiepiscopis & Episcopis ac ceteris Ecclesiarum Prelatis per Svetiam constitutis. L. a. & d. iisdem. Mandatur ut Episcopo Scarense in officio Crucem prædicandi assistant. — Indid. Ep. 74.*

10. *Iisdem. Ibid. Idibus Novembris A. III. (d. 13 Nov. 1263). Vehementer eos Papa hortatur atque in remissionem peccatum iis injungit, ut Episcopo Scarense & ejus cooperatoribus circa prosecutionem negotii de subsidio sibi commissi, Terræ Sanctæ, assistant. — Indid. To. 3 Ep. 74.*

11. *Episcopo Piævensi. Ibid. Kal. Decemb. a. III (d. 1 Dec. 1263). Ad res pertinens Ecclesiæ Franco Gallicæ, temere in numerum Bullarum ad nostrates missarum irrepsit.*

12. *E. (Erico VI) Regi Dacie ac (Margaretæ) Reginæ Matri ejus illustribus. Apud Urbem Veterem IV Non. Januar. A. III. (d. 2 Jan. 1264). Cum ex parte Regis & Reginæ coram Papa esset propositum, Archiepiscopum Lundensem (Jacobum Erlandi) & Episcopum Roskildensem (Petrum Bang) regni inimicis in suis damnatis studiis se conjungentes, sese Regi Reginæque publicos æmulos & inimicos manifestos constituisse, ac e regno exivisse; Papa illis indulget, ut nullus ipsorum, hujusmodi inimicitias propter culpam eorum durantibus, posset in personas Regias excommunicationis, aut in terras interdicti sententias auctoritate propria promulgare. — Indid. Ep. 87.*

13. *Eisdem. L. a. & d. iisdem. Indulget iis, ut cum gene-*
G 2 *rale*

rale vel speciale terræ fuerit interdictum, liceat iis & familiæ suæ in Capellis suis per Capellanos proprios, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, summisa voce facere celebrari & audire divina, & ecclesiastica percipere sacramenta, dummodo ipsi vel familia aut Capellani causam non dederint interdicto, vel id iis non contingat per alios quam per (Jacobum Erlandi) Lundensem Archiep. & (Petrum) Episcopum Roskildensem, publicos suos inimicos, durantibus hujusmodi inimicitiis, specialiter interdici. — Indid. Ep. 88.

14. *Episcopo Vibergensi* (Catillo I. Ketillo). *L. a. & d. iisdem.* Quia audierat Papa Archiepiscopum Lundensem (Jacobum) se a civitate ac Dioecesi Lundensi, tam motu proprio quam aliis culpis exigentibus diutius absentesse, publicis Regis Regionæque inimicis adhærendo, ita ut per plures annos nemo in illa Dioecesi chrisma confecerit, pueros chrismaverit, & subditis Ecclesiæ Lundensis ecclesiastica sacramenta, aliaque quæ per Archiepiscopos conferuntur, exhibuerit; mandat Episcopo, ut si est ita, in Civitate & Dioecesi supradictis, quamdiu ab ipsis Archiepiscopos absens fuerit, ea quæ sunt Episcopalis Ordinis exercere procuret. — Indid. Ep. 89.

15. *Episcopo Arvieni* (d) *L. a. & d. iisdem.* Simile Papa ei dat mandatum, respectu Episcopi Roskildensis, qui propter graves excessus quos commisit, per triennium absentarit. — Indid. Ep. 90.

16. *Thrugoto Episcopo Revalieni.* *Anud Urbem Veterem Idibus Januarii A. III (d. 13 Jan. 1264).* Papa Episcopo, cui pro-

(d) Qvis hic fuerit, definire nescimus, Cfr. PONTOPPIDAN I, c. p. 582
— 592

propriis manibus munus consecrationis impenderat (e), diplomate hoc confirmatorio illud officium mandat. — Indid. Ep. 81.

17. *Jacobo Archiepiscopo Lundensi. Apud Urbem Veterem II Non. April. A. III* (d. 4 Apr. 1264). Papa Archiepiscopo criminis sua, (quae diligenter recenset) malitiam atque superbiam severe exprobrat, simul mandans, ut infra octo dies post receptionem harum literarum, in manibus *Prioris de Halmstadia & Superioris Fratrum Prædicatorum Lundensium*, quos ad eum propter hoc mittit, Ecclesiæ suæ regimini sponte cedat: quod nisi fecerit (f), sese eum pro merito esse puniturum, minatur; — Indid. Ep. 147.

18. *Priori de Halmstadia Lundensis Dioecesis, & Superiori Fratrum Prædicatorum Lundensium. L. a. & d. iisdem.* Mandatur iis, ut literas Pontificis (proxime commemoratas, N:o 17) Archiepiscopo Lundensi *Jacobo Erlandi* clausas præsentent, eum ad obediendum hortentur, cessionem, vice Pontificis, ab eo recipient, si autem pervicax fuerit, Papæ severitatem ei annuncient; ac eventum mandati sui Pontificis fideliter intiment. — Indid. Ep. 148.

19. *Wibergensi & Arusensi Episcopis. Ibid. Nonis Julii A. III.* (d. 7 Julii 1264). Mandatur iis, ut Petrum Subdiaconum Lundensem, nullum sicut asserebat ecclesiasticum beneficium assecutum, dummodo sit idoneus, recipi facientes in canonicum & in fratrem, eidem de præbenda providere, impedimento quounque posthabito, curent. — Indid. Ep. 1712.

G 3

20. Iis-

(e) Cfr. supra N:o 1.

(f) Hæc est famosa illa Bulla, quam Danice conversam exhibet HUHFELD *Cron Regni Dan.* P. II p. 266 sqq. & Germanice PONTOPIIDAN l.c. p. 714 sqq. Cfr. A CELSE l. c. p. 81, N:o 6.

20. *Iisdem. Ibid. X Kalend. Augusti A. III (d. 23 Julii 1264).*
 Quum Burglanensem ecclesiam tanto jam vacasfe tempore diceretur, ut ad Sedem Apostolicam ipsius provisio secundum generalis Statuta Concilii eset devoluta; mandat Papa Episcopis, ut si hæc ita esse reperirent, Magistrum Johannem de Hethe Regis & Reginæ Daciæ Capellanum, uterque vel alteruter eorum Burglanensi Ecclesiæ, auctoritate Pontificis, in Episcopum præficeret, ac ipsum, quia Archiepiscopus Lundensis vinculo excommunicationis eset adstrictus, alteruter eorum promoveret ad ordines, adscitisque duobus vel tribus Episcopis consecraret: salvo cæterum jure Lundensis Ecclesiæ. — Indid. Ep. 294.

CLEMENS IV.

1. *Guidoni, tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbytero Cardinali, Apostolice Sedis Legato. Perusii VI Idus Junii, Pontificatus Anno I. (d. 8 Junii 1265) (a). Constituitur & mittitur Legatus Pontificis in Sveciam, ut idem Regnum eo amplius in Dei & Ecclesiæ Romanæ devotione proficeret. (b). — Ex Registro Literar. Apostolicar. Clementis P. P. IV, A. I. Ep. 93.*

2. *Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis Prepositis, Archipresbiteris & aliis Ecclesiærum Prelatis, nec non & Capitulis, Conventibus, Collegiis aliisque personis ecclesiasticis, secularibus & regularibus, tam exemptis quam non exemptis, in regno Svetie constitutis. Ibid. II Idus Junii A. I. (d. 12 Junii 1265). Significat Papa Clero Svecico, se Cardinalem Guidonem constituisse*

(a) Adscriptus quidem est Apographo nostro a. 1266, sed perperam; electus enim fuit Clemens IV Pontifex a. 1265, mense Februario; Cfr. CIACONIUS I, c T, II p. 166.

(b) De hujus Legati in Svecia gestis cfr. LAGERBRING *Hist. Regni Svec.* T. II C. XIX §. 4.

tuisse Legatum Apostolicum in Regnis Sveciae & Daniæ, nec non in Provinciis Bremensi, Magdeburgensi, Saltzburgensi & Gnezensti, pro discordiarum sedatione quarumlibet, & statu dicti Regni salubri & pacifico procurando: quem igitur Legatum suum impense commendat, obedientiamque ei exhibendam graviter & severè inculcat. — Indid. Ep. 94.

3. *Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus & universis Christi fidelibus in Dacie ac Svetie Regnis, nec non & Bremensi, Magdeburgensi, Saltzburgensi & Gnezensti Provinceis constitutis. L. a. & d. iisdem. Eadem de re.* — Indidem.

4. (Waldemaro). *Regi Svetie illustri. L. a. & d. iisdem. Eadem de re.* — Indidem.

GREGORIUS X.

1. *Electo Ubsalenſi (a).* Neque vel Papæ, vel Electi nomen, neque locus, dies & annus datarum harum literarum in exemplo superstite habetur (b). Docet Pontifex, se ex literis *Waldemari* Regis Sveciae didicisse, quanta crudelitate *Cariali* (Ca-

(a) *Fulconi*, ut videtur. Cfr. RHYZELIUS, *Episcoposc.* P. I p. 35.

(b) A Papa tamen *Gregorio X* fuisse exaratas, probabile est. A descrip-
tore exempli nostri Romano talis adnotatio ei præfixa est: "Bulla
"sine Pontificis nomine, directa Electo Ubsalenſi; qua indicitur, in-
"stante Valdemaro Svetiæ Rege, prædicatio Crucis in paganos, alios.
"que Christi inimicos, quique cædibus atque incendiis regnum vasta-
"bant, ac *Cariali* vulgariter appellabantur. Pertinet forsitan ad an.
"1274 circiter, quo Regnum tenebat Valdemarus, atque Electus Up-
"salensis nondum fuerat in Archiepiscopum consecratus". Cfr. si pla-
cet, quæ de hac Bulla diximus in *Annott* ad editum a nobis *Pauli*
Juosten Chronicon Episcopor. Finländensium, p. 127 sqq. in cuius Ap-
pendice integrum dabimus legendarum.

(Carelii), aliisque vicini iis Pagani & Fidei Catholicæ hostes (c), quasdam partes Regni ejus afflixerint & vastaverint. Qvare Rege eodem per speciales suos nuntios & literas Pontificis festinum subsidium postulante, Electo Upsalensi mandat, ut per se & per alios religiosos & seculares, contra sœuos illos hostes *verbum crucis* prædicet, & Svecis, volentibus illam assumere, eandem concedat peccatorum veniam, quæ transeuntibus & subvenientibus in terræ sanctæ subsidium a Sede Apostolica in generali Concilio est concesa; idque non solum iis qui in personis propriis & expensis, vel in personis propriis sed in alienis expensis, contra eosdem paganos proficiscerentur, sed etiam illis qui in expensis propriis illuc mitterent idoneos bellatores, aut ad hoc de bonis suis aliquid largirentur: ita tamen, ut beneficium hoc singulis juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum eset tribuendum (d). — "Ex formulis Marini Eboli, Form. 2774 p. 275 t."

NICOLAUS III.

r. Archiepiscopo ac universis Episcopis in Regno Svetie constitutis. Rome apud Sandum Petrum VIII Idus Junii Pontif. Anno II (d. 6 Junii 1279). Rogat, hortatur & mandat Pontifex, ut pecuniam ex decima in Terræ Sanctæ subsidium deputataj per illorum dicœceses collectam, ad Portum Scarensem (a) procurent

(c) Sine dubio Ingros, Watlandos atque Russos Novogorodenses socios sibi adjunxerant. Verisimile est, Careliorum hanc crudelitatem (cladem fortassis recentem popularium atque vicinorum suorum, his instigantibus ulcisci studentium?) partim in Tavastia nuper a Svecis occupata, partim in ora Nylandiae maxime fuisse exercitam.

(a) Non fuisse Sanctum Patrem optime in Geographia Sveciæ versatum putes; nisi Ludosiam intellexit (*Lödöse*), Emporium & portum Scarensis Dioceſeos celebrem, ad ostium fluminis Gothici (*Götba Elf*) situm?

current sub custodia fida deferri, postea in Franciam per M. Bertrandum Amalrici, Capellanum Papæ & Canonicum Remensem, in Sveciæ & Daniæ Regnis Collectorem a Sede Apostolica deputatum, (ab illis auxilio & consilio studioseadjuvandum) mitti posset. — Ex Registro Literar. Apostolicar. Nicolai P. P. II A. II. Ep. 138.

2. (Magno) Regi Svetie illustri. *Ibid. VII Idus Junii A. II* (d. 7 Junii 1279). Non sine vehementis admirationis causa se nuper accepisse Papa significat, regem de pecunia Decimæ in regno ejus ad opus Terræ Sanctæ collecta quandam quantitatem argenti sub velamento necessitatis urgentis recepisse motu propriæ voluntatis, quod utique non decuit Regiam Majestatem. Quam receptionem ipsius pecuniæ non frustra in notabilēm derogationem honoris ejus ac Regiæ honestatis cedere, pro firmo Pontifex testatur, & in perniciem Terræ Sanctæ fore inde aliis mali causam exempli. *Licet igitur hujusmodi facti qualitas exigeret super hoc fuisse aliter procedendum*; ne tamen Rex caritatem veram, quam more superni Patris, cuius vicarius in terris officium obtinuerat, ad Regalem Serenitatem habere Papa decrevit, refriguisse quomodolibet opinetur, ad illum in mansuetudinis spiritu dirigit scripta sua, & illum affectuose rogat, ut prædictam quantitatem argenti Bertrando Amalrici plene restituiri procuret. (b) — Indid. a. II Ep. 94.

H

3. Ma-

(b) De R. Magni hac temeritate, quæ Pontifici non potuit non vehementer displicere, adeo nihil nostri commemorare norunt Historici, ut hunc Regem (quem a prioribus nimis laudatum, acerbius reprehendit ill. LAGERBRING) immodi potius in Clerum favoris atque obsequii certatim arguant. Cfr. LAGERBRING l. c. II P. C. 16, § 6. Videtur sanctam hanc pecuniam Rex arripuisse tempore belli quod cum fratre suo R. Waldemaro & Danis (circa a. 1278) geserat? Cfr. LAGERBRING l. c. C. 15 §. 31.

3. *Magistro Bertrando Amalrici, Canonico Remensi, in Datis
Et Svetie Regnis Collectorori Decime Terre Sancte subfido deputate.
Ibid. XI Kalend. Julii A. II (d. 21 Julii 1279).* Quum Episco-
pus Scarensis (*c*) Zelo fidei & devotionis accensus, Crucis as-
sumpto signaculo, proponeret in primo generali pasfagio a Sede
Apostolica statuendo in Terræ Sanctæ subfidiu personaliter pro-
ficiendi; qua siverat M. Bertrandus (*d*), an ab eodem Episcopo
de redditibus suis ecclesiasticis esset decima exigenda? Pru-
denter respondet Papa, ut decimam illam exigeret, sed in
tuto loco deponebat, tradendam Episcopo, si eundem contige-
rit personaliter transfretare; alioquin ipsam Papæ & dicti subfi-
di nomine diligenter custodiret. — Indid. A. II To. I Ep. 139
p. 179.

MARTINUS IV.

1. *Episcopo Lincopensi (*a*). Apud Urbem Veterem, Idibus
Februari. A. III. (d. 13 Febr. 1284).* Petierunt nobilis vir *Ulpho
Holingeri* filius (*b*), & nobilis mulier *Elena*, consanguinea Re-
gis

(*c*) *Brynolbus Algothi*; qui cum nullum pasfagium generale suscepimus
interim fuisse, neque voto suo satisfacere potuisse videtur.

(*d*) De hoc M. Bertrando Amalrici ejusque in Dania & Svecia negotiis,
legi nonnihil potest apud nob. LAGERBRING l. c. P. II C. XIX §. 2 & 3
(Cf. P. III C. VII not. 2 & 3 & §. 18 not. 5.)

(*a*) *Boetio* (sive quocunque modo nomen hominis parum noti scribendum
fit)? Cf. RHYZELIUS l. c. P. I p. 107. Neque in exemplo nostro
literarum Papalium, nomen Episcopi expressum comparet. Successor
Henrici, in itinere ad Terram Sanctam suscepito nuper mortui, Aulæ
Pontificiæ nondum innotuisse videtur?

(*b*) Hic *Ulpho* (*Ult*), Historicis nostris hactenus ignotus, filius fuisse vi-
deatur ejus *Holingeri* (sive *Holmgeri*), quem cum reliquis Folkungis,
ob cædem *Ingemari* Dani, Rex *Magnus* puniverat (cf. LAGERBRING

gis Magni, ut ipfis, licet *quarto consanguinitatis gradu conjunctis*, permitteretur matrimonium inire. Cum igitur, sicut ex relatione quorundam Episcoporum Regni Sveciae Papa didicerat, *pacis unio quæ inter Regem Sveciæ ex parte una, & eundem Ulphonem aliosque Barones & Nobiles Regni temporibus præteritis disfidentes ex altera, propter quod multa personarum & animarum pericula provenerunt, dicitur esse facta* (c), per hoc corroboretur fortius, & Regni tranquillitas procuretur, petitioni eorum ita annuit, ut Episcopo concedat facultatem, si diligenti inquisitione præhabita quod de hujusmooi pacis corroboratione & Regni tranquillitate proponebatur invenisset veritate fulci-ri, consideratis etiam aliis circumstantiis universis quæ super hoc fuerint attendendæ, auctoritate Pontificia dispensandi, iisque permittendi ut matrimonium libere contraherent. — Ex Registro Literarum Apostolicarum Martini P. P. IV, A. III Ep. 129.

2. *Magno, illustri Sveorum & Gotorum Regi. Ibid. Kalend. Martii A. III. (d. 1 Martii 1284).* Petitioni Regis annuens Pa-pa ei indulget, ut ordo ipsius Romanæ Ecclesiæ in celebratione Divinorum Officiorum, in Capella Regia, suo & hæredum Suo-rum Sveciæ Regum temporibus, in perpetuum observetur. — In-did. Ep. 124.

H 2

HO-

1. c. P. II C. XVI §. 4). Cumque *mulier illa nobilis Helena*, quacum matrimonium inire *Ulpho* cupiebat, dicatur *Regis consanguinea*, non est improbabile, eandem fuisse, quæ nupta ante Ingemaro tuerat? Cfr. LAGERBRING l. c. §. 3, not. 5, Rex sine dubio huic favebat matrimonio; quoniam ad pacem inter eum & Nobiles Regni ei olim adversos confirmandam pertinere putabatur.

(c) Hæc ad turbas a Folkungis motas aperte spectant, (cfr. LAGERBRING l. c. §. 4), & multos eos habuisse locios, asleclas atque amicos, q-
sendunt.

HONORIUS IV.

*x. (Ingvaro) Roskildensi & (Johanni) Othoniensi (a) Episcopis. Rome apud S. Sabinam XV Kalend. Junii Anno I. (d. 18 Maii 1285 (b)). Cum de concessione Pallii, Magno (c) Electo Upsalensi mittendi, ageretur, inter Petrum Agnetis Canonicum Lundensem & Hermingum (d) Clericum Upfalensis Dicecesis, Nuntios ejusdem ecclesiae, controversia fuit exorta, asferente Petro Pallium Archiepiscopo Lundensi esse mittendum ac per eum Electo assignandum, quum per privilegium Apostolicum apparat Lundensem, Primum obtinentem, praesesse Archiepiscopo Upsalensi. Cui favebat, quod in Registro Papae Gregorii IX (e) fuit repertum, Pallium petitum per Canonicos Lundenses, Nuntios tunc pro Upfalensi Electo, fuisse Archiepiscopo Lundensi transmisum, eidem Electo per eundem Archiepiscopum assignandum. Sed Hermingus pro Upfalensi ecclesia ursit, *prædicta non fuisse servata* (f). Papa igitur Pallium per eosdem Petrum & Hermingum Lundensi transmittendum duxerat, suis illi literis mandans, ut illud auctoritate Pontificis Electo Upfalensi assignaret*

(a) De his Episcopis (*Ingvaro Hjort* Roskildensi & *Johanne Othoniensi*) cfr. PONTOPPIDAN *Annales Eccles. Danicæ* T. I p. 570 & 574.

(b) In nostro exemplo male adscriptus fuit annus 1286. Cfr. CIACONIUS l. c. p. 254.

(c) *Boetii filio* (Boson). Cfr. RHYZELIUS l. c p. 36, & LAGERBRING l. c. §. 6 p. 746.

(d) Eundem *Magistrum Hemmingum* fuisse putat SCHEFFERUS, qui inter Canonicos Upalienses commemoratur in veteri *Chronico de Archiep. Upaliensibus* a se edito: cf. p. 172 & 175.

(e) Cfr. supra p. 50 N:o 27.

(f) Hoc est, per contrariam confuetudinem fuisse abrogata. Argumentum satis dubium.

ret, atque fidelitatis ab illo juramentum, Papæ præstandum, recipere (g). Verum quia posset contingere, quod Lundensi Archiepiscopo J. (Johanne Dros) morte prævento vel ex alio impedimento legitime impedito, per eum hæc exhibitio Pallii fieri non posset, Roskildensi & Othoniensi Episcopis Papa mandat, ut *eo casu* uterque vel alteruter eorum Pallium, juxta formas præscriptas (quas, una cum Pallio, in tali casu dicti nuntii eis tradere debebant) *hac vice*, Electo saepius nominato assignaret. Hæc tamen simul cautio additur: "Ceterum non intendimus, quod per hoc iisdem Ecclesiis, vel earum alicui, circa premissa vel aliquod premissorum, in prosecutione sui juris petitorio vel posseſſorio jus aliquod accrescat vel decreſcat, vel alias quomodolibet derogetur". — Ex Reg. Liter. Apostolicar. Honorii P.P. IV, A. I. Ep. 45^r.

NICOLAUS IV.

I. Magno Regi Suetie illustri. Reate XII Kalend. Junii A. I. (d. 21 Maii 1288 (a)). Significaverat Papæ per literas Rex, se, ut Gerhardum Holſatiæ Comitem, potentem & Regi Daniæ *Erico*, quocum bellum Rex *Magnus* gerebat, vicinum ejusque adiutorem præcipuum, a partibus Dani fejungeret sibique conciliaret, filiam Comitis *Hedvigem* uxorem duxisse, atque ex ea prolem suscepisse (b). Quum vero Rex antea despondisset sibi nobilem

H 3

mulie-

(g) Bullam hanc, nostræ similem, eodemque loco & die datam, recenset A CELSE l. c. p. 91 sq. atque exhibent VASTOVIIUS l. c. p. 129 & (ex illo) SCHEFFERUS l. c. p. 55 sq. Cir. LAGERBRING l. c. §. 6.

(a) Nostro exemplo vitioſe adscriptus est annus 1286. Cir. CIACONIUS l. c. p. 255.

(b) Recte itaque causam expediti atque initi a Rege hujus matrimonii conjectando investigavit Nobil. LAGERBRING (l. c. C. XVI §. 2) cui nostra Bulla fuit incognita.

mulierem *Sophiam* (*c*), prædiſtæ Hedvigi quarto consanguinitatis gradu conjunctam, ac præterea aliam, eodem consanguinitatis gradu præfatæ Hedvigi attinentem, carnaliter (ut ipſe fatebatur) cognovisſet; petierat a Papa veniam atque dispensationem. Ut igitur scandalū & gravia illa incommoda quæ ex dissolutione matrimonii a Rege initi sibi & Regno ſuo metuenda erant arcerentur, petitioni ejus Papa annuit. — Ex Reg. Liter. Apostolicar. Nicolai P.P. IV A. I Ep. 65.

i. (Benedicto) *Episcopo & Capitulo Lincopenſi. Reate X Kalend. Junii A. II* (d. 23 Maii 1289). Indulgenciarum unius anni & 40 dierum conceduntur visitantibus Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli Lincopenſem in quibusdam enumera- tis anni festivitatibus. — Indid. A. II T. i Ep. 183.

3. Johanni (*b*) *Archiepiscopo Lundensi. Reate V Nonas Julii A. II* (d. 4 Julii 1289). Transmittitur ei, poſtulante Petro Agnetis Lundensi Canonico, Nuntio ſuo, Pallium Magno Electo Upsalensi assignandum, adjuncta ſimul formula cum Juramenti ab eo exigendi, tum Pallii ſolemniter ei dandi (*e*). — Indid. A. II T. i Ep. 303.

4. (A-

(*c*) Quæ hæc fuerit, nescire me fateor: neque tota hæc res omnino Historicis nostris haſtenus fuisse videtur cognita.

(*d*) *Grand*, vid. RHYZELIUS I. c. P. II p. 18: cfr. PONTOPPIDAN I. c. p. 560 ſqq. 763 — 775, 782 ſq.

(*e*) Mirum videatur, cum Pallium eidem assignandum Electo, jam fuisse a Papa *Honorio IV*, ante annos V, Archiepiscopi hujus in munere antecesori (Johanni Droes) transmisum, (cfr. ſupra p. 60 ſq. N:o 1), idem ab alio Papa ad aliud Archiepiscopum Lundensem rursus transmitti? Num, reptignantibus Svecis, Honorii illud decretum executioni omnino non fuit mandatum? Unde igitur Bullam Pontificis habuit VASTOVIVS? Non liquet,

4. (Anundo) *Epiſcopo Strenginensi. Rome apud Sanctam Mariam Majorem, XIV Kalend. Januarii, A. II. (d. 2 Dec. 1289).* Petente Magno, Rege Sveciae & Gothorum, permittitur ut nobilis mulier *Halgha Anundi* (leg. *Anundi*) (f), Strengensis Dioceſis, Regis consanguinea, nubat viro nobili *Rorico Birgheri* (g), Upſalenſis Dioceſis, quarto consanguinitatis gradu ei coniuncto. Rationem petitionis ſuae hanc Rex adduxerat, quod cum idem *Roricus* quibusdam capitalibus inimicis adhaeret, fomites odii & rancoris in ipſius Regis & ejusdem Rorici mentibus radicati noſcantur, qui ſi, quod abſit, incrementum fuſciperent, gravia poſtent in regno scandalū & guerrarum pericula fuſcitari, & ſperetur quod per coniunctionem Rorici & Halghæ prædictorum ſomes odii & rancoris hujusmodi extingueretur & pax & tranquillitas proveniet ipſi regno (h). Eo autem ſe eſſe propensiorem Pontifex ad Regis annuendum votis teſtatur, quod fidem & devotionem eximiam idem Rex ad eum & Romanam gerit ecclſiam. — Indid. A. II Ep. 699.

5. *Abbi Monasterii de Sabal* (i) *Ciſterciensis, Priori Predicatorum de Siðunia, Upſalenſis & Strengensis Dioceſis, ac Guar- diano*

(f) *Helgam* hanc filiam fuſiſe, Genealogi nostri dicunt, Legiferi Sudermanniae *Anundi* in *Froſbammar*, *Haraldi* filii.

(g) Hujus *Rorici* & *Helgæ* filiam, fuſiſe *Christinam*, Genealogi nostri asſerunt, ex qua familia nobilis *Bonde* genus ſuum ducit, abaviam R. *Caroli Canutii*.

(h) Docent hæc R. *Magnum* de conciliandis ſibi rursus Nobilium animis, quos fervoritate iua in Folkungos, *Ingemari* Dani interfectores, exasperaverat, admodum fuſiſe follicitum; atque per nuptias, inter consanguineas suas atque duces adversæ factionis conciliatas, hos ſuis adjungere partibus callide ſtudiuſe. Cfr. ſupra p. 58 N:o 1.

(i) *Såby*, poſtea *Zuleta*, in Sudermannia. Vid. RHYZELII *Monasteriol.* p. 213 ſqq.

diano Minorum Upfalenſis, Fratrum Ordinum. Apud Urbem Veterem VIII Idus Julii, Pontificatus Anno III, (d. 8 Julii 1290). Upfalenſi Ecclesia per obitum Magni, Upfalenſis Electi confirmati & etiam consecrati vacante, Capitulum per viam Compromiſi potestatem eligendi Archiepiscopum in Johannem Archidiaconum, Andream Præpositum, & Clavum Canonicum transtulerat; qui Johannem, Episcopum Aboensem, unanimiter, postularunt. Hic vero rem Papæ subjicit arbitrio; ac postmodum Capitulum Romanum misit Carum (an Carolum?) & Ervaſtum, Canonicos, qui decretum postulationis Papæ præsentarent, & ut eam admitteret, supplicarent. Papa primo rem examinandam tradidit J. (Johanni) Episcopo Tusculanensi, Petro titulo S. Marci Presbytero, ac Petro S. Eustachii Diacono, Cardinalibus; atque quia si bi de idoneitate personæ postulati prædicti ad plenum non constaret, prædictis Ordinum Monasticorum antistitibus mandat, ut si diligenti examinatione instituta, invenirent postulatum vita, moribus, honestate, scientia & aliis virtutum meritis idoneum atque dignum ad supportationem Archiepiscopalnis oneris & honoris, auctoritate Apostolica postulationem admitterent (k). — Indid. A. III T. 2. Ep. 263.

BONIFACIUS VIII.

I. Nicolao^(a) Archiepiscopo Upfalenſi. Anagnie XVI Kalendas Septembris, Pontificatus A I. (d. 17 Aug. 1295) Johanne Archi-
epi-

(k) Electionem sive postulationem Johannis ab his delegatis fuisse probatam, eventus docet. Cfr. RHYZELIUS *Episcopose*. P. I p. 37 (cujus tamen narratio in quibusdam corrigi debet, ex iis quæ in hac Bulla habentur; cfr. quæ disputavimus in *Annott. ad Pauli Juuſten Chronicorum Episcopor. Finlandensium*, p. 202 sqq.).

(a) Allonis; de quo cfr. RHYZELIUS *Episcopose*. P. II p. 37 sq.